



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Litterae Societatis. Iesv Dvorvm. Annorvm M. D. LXXXVI Et M. D. LXXXVII
Patribvs. Fratribvsq. Societatis Iesv, gratia, & pax Christi Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68850)

L I T T E R A E
S O C I E T A T I S . I E S V
D V O R V M . A N N O R V M

M . D . L X X X V I

E T

M . D . L X X X V I I

P A T R I B V S . F R A T R I B V S Q.
Societatis IESV, gratia, & pax
Christi Domini.

BIENNIVM fere est, cum ex
instituto nostræ Societatis litteras
annuas accepistis: annus, cum exigi-
tis novas: eæ nunc reddentur. se-
ro: sed, quod idem est, duplices: duo-
bus annis in vnũ volumẽ coniectis.
Utinã earum scriptiõnẽ suscepisset alius, qui otio ma-
gis abũdaret, & ingenio: meliores haberetis. Nunc,
onus impositũ est homini imparato, qui ad ea retra-
ctãda, quæ scripsit, parũ habuit liberi tẽporis. Si quid
fuit subsecinarum horarum a necessitate docendi, quæ
etiam hoc anno aucta, huc collatum est. additum præ-
ceptũ, vt prætermisiss interioribus quibusdam rebus,
quia lubricæ: vulgaribus, quia contritæ: expeditius
reliquæ simpliciusq. scriberentur. Cui præcepto dum
pareo, secutus sum plerumque (quemadmodum quidẽ
volui) non lacinosum, & fluens dicendi genus, sed suc-
cinctum

a 2 cinctum

unctum, & tractum: ad imitationem Historicorum, maxime Taciti. Deleta quoque nonnulla, & circumcisa multa Patrum Assistentium arbitrio. Et incepto anno octogesimo octavo fere exeunte. His tam multis incommodis vna occurri celeritate scribendi. quasi vobis placui, non quæsitæ elegantiæ veniam sperare debeo, non rogare.

Vt autem, recepto more, explicem ea prius, quæ vno in conspectu ponunt formam Societatis: quod ipso statim initio gestit animus cognoscere: faciendum videtur, vt hæc strictim antea, & generatim delibemus: tum deinde singula persequamur. Societas igitur vniuersa distributa est in Prouincias viginti duas. Prouincia cuncta habent (vt confuse & permiste hoc quoque dicatur) loca, in quibus nostri versantur, ducenta triginta octo. Domos nimirum Professorum duodecim. Collegia centum sexaginta duo. Residentias quinquaginta. Quattuordecim Nouitiorum Domos. In his locis omnibus, super Bæticam, de qua nihil habui, fuerunt fere hoc biennio socij circiter sexages mille sexcenti viginti. Mortui ducenti sexaginta tres. Admissi octingenti quinquaginta. Reliqua curiosius peruestigare nec potui, nec debui.

PRO-